

CAPUT I.

ΠΡΟΠΑΡΑΣΚΕΥΑΣΤΙΚΟΝ.



§. I.

Discussionem propositi nobis Problematis:

An homo regeneratus & irrogenitus specie differant, nec ne? aggressuri, Tractationis ejus rationem indicare ante habebimus, ut inquiratur: Num recte ipsum pro Theologico venditetur Problemate? anne vero potius ut mere Philosophicum sit estimandum?

Posterius namque putari ex eo poterat, quod de Specie & Differentia Specifica agere Philosophia Rationalis sibi vendicat, ut adeo non nisi mera Philosophici cujusdam termini ad rem Theologicam accommodatio Problemati huic subesse videretur. Ast norunt vel tyrones Dialecticæ, Problemata non ratione prædicati, sed ratione subjecti sui ad certum quoddam Scientiarum genus referri, prouti recte docet: quid enim eum in re manifesta allegare vetat? ARISTOTELES, *Lib. I. Top. Cap. m. 14. al. 12.* & cum eo, quod sciam, reliqui omnes. Sic enim Physicum dicitur Problema, quod quærit de subjecto ad Physicam pertinente: & quod de subjecto Politicæ considerationis interrogat, Problema Politicum audit. Etenim Scientiæ singulæ sua considerant objecta, quæ quoad materiale quidem plurimum Scientiarum esse possunt, quoad formale vero non nisi unus sunt, inquirentes, quænam illis insint affectiones? quænam & qualia admittant prædicata? Primaria igitur consideratio subjectorum est, quorum ad cognitionem plenioram impetrandam in prædicata inquiritur, prout subjectis vel insunt, vel ad ea referuntur, & vel intrinsecè vel extrinsecè ipsa denominare queunt, ut non propter prædicata subjectum, sed ista propter hoc in Scientiæ cujuslibet veniant considerationem.

§. II. Et quanquam aliàs *μετάβασις εἰς ἄλλο γένος* vitium haud leve reputari soleat; novimus tamen omnes, sine vitio isthoc ex Scientiis subordinatis & subalternatis, quarum vel una generalior, altera specialior est, vel una propter alteram addiscitur, assumi argu-